



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Catharina Virg. Mart. 25. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

4.Nov.
us pu-
mpius
geret,
daret,
entum
s pul-
umen
casti-
rivali
orem
ntem
dagra
faces
tales

onsor-
ta &
affert.
stiam
c.s.
bris.
, si
ecit
enè
e de
ler,
rat;
op-
ret,
uid
fus-
uit.
us,
duc

15.Nov. VITÆ SANCTORVM. 575
velut fascem suum generosus miles portavit. Sed
neque ignes horruit, & plagas pro Christo etiam
iversas adversas putavit. Exilium velut missionē
cepit. Caput spiculatori velut Imperatori co-
tonandum porrexit. Illud in primis memorabile,
quod MERCVRII operā, etiam cū in cælo jam
geret, VIRGO MATER sit usa. Nam ajunt D.Ba-
silium ante VIRGINIS effigiem Juliani impieta-
tem accusasse, hanc capit is in tyrannum senten-
tiā dixisse, & ad id ablegasse MERCVRIVM; à
quo ille confossus haustum ē vulnere cruentum
cum hāc impiā voce in cælum ejaculatus sit: Vi-
tisti Galilæ: rem omnem ab absente tunc Martyris
haстā & postridie cruentā proditam esse. Atque
hoc puto etiam Sodalibus aurem vellicabit, quæ
semper MATER audit, etiam nonnumquam eam
judicem esse. Ex Baron. & Metaphr.

Audes aperire os tuum, & in cælum juramenta
atque blasphemias emittere? & non times ne fortè
falsum ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo
 tua, teque excidat, qui sic audes aperire os adversus
Deum, in quem Angeli non audent oculos conjicere?
S.Ephrem paræn.43.

S. CATHARINA VIRG. & MART.

25.Novembri.

PAlladem Christianam damus, CATHARINAM
inquam, fortissimam virginem & sanctorum
Musarum dignissimam Præsidem, non ægide aur
haстā mendaci, sed rotā fractā & lacteo gladio
formosam. Aufa est hæc una ex omni Alexandriâ
Diis sacrificantem Maximinum interpellare,
stultitiæque propalam arguere, quin captiya
cum quinquagenis Philosophis pro Christo
in

in arenam descendere. Et fassi sunt tot viri à virgine se viatos, & in flamas abjecti, manus Deo, & palmam CATHARINÆ dederunt. Illuc CATHARINA etiam Imperatricem, quæ ad vincitam inviserat, carcerique præfectum Porphyrium cum suis præmisit. Ipsa ultima cum tyranno commissa primas tamen abstulit. Nam carceris tenebras cur non suspexisset, in quibus præsentem illi licuit Christum aspicere? Jam verbera ac plagas facile tulit, cùm idem, ut promiserat, robur suppeditaret. Negatum verò undecim ipsos dies cibum potumque etiam contempsit, cùm commeatus ē cælo suppeteret. Quid? ingeniosam in tormenta rotam, velut melior fortuna calcavit. Denique virum (ut nobilis ævi nostri Poëta ait) credidisse, nisi cùm caput ensis abstulit, virginem lac, quod pro sanguine fluxit, prodidisset. Meruit tanta virtus ab Angelis in monte Sinâ tumulari, & è tumulto hodie etiam CATHARINA oleum terris dividit; ut quod de suâ Pallade finxit antiquitas, de nostrâ sine mendacio possimus affirmare. Ex Metaphr.

Virgo Christus est, & Virginis filius, & virginem conjugem vult habere. Tu si habes Angelicam (plus dico vobis) Christi Matrisque suæ gratiam, hilaresce, tripludia, & in amplexus Christi gestiens, illud amatorium clama suspirans; Osculetur me osculo oris sui.
S.Bern.in Euang.de 10.virg.

S. CONRADUS E P. 26. Novembris.

CONRADVS insulam Constantiensem accepit à D.Udalrico Augustanorum Præsule. Fuit cùm uterque cœnam frugalem sanctis deo sermocinationibus aspergerent. Et erat is dies Jovi dicatus.